

BENEDICTI PAPÆ I

EPISTOLA * AD DAVID EPISCOPUM.

Probat ex sacris litteris, summam Trinitatem unitatem esse.

Reverendissimo fratri episcopo David, Benedictus A Deus Israel, qui sedes super cherubim (Isa. xxxvii) ?
salutem in Domino.

Respondere litteris vestris plenius cogitavi; sed cum hoc meditarer, tantus me dolor tetigit, ut magis
flare quam aliquid dicere, delectatus sim. Sed no-
fuditus zempaneret, pauca vobis rescribere curavi, ad
potiora vos tempora congrue invitare. Quid autem
litteræ tue testes sunt, quosdam intra provinciam
Bæticam esse, qui dicebent, neminem veraciter posse
probare, Trinitatem unitatem fieri, cum neque tres
unum, neque unum in tribus posset quemquam pro-
prie approbare : quae ubi causas, dilectissime fili,
consulta tibi apostolicam sedis misimus, ut aut his
eos ad rectam fidem converiri facias, aut ab ecclesia
antequam pestis haec latius divulgetur, repellas. His
(frater) Scripturarum testimonii (Ithacius adv. Va-
rimadum, c. 1) unitatem Trinitatis agnosce, et de-
sine Arianaorum pravitatem sequi, ut ab eadem
possis peccatorum indulgentiam promerer, Isaia
propheta dicente : *Vide Dominum sabaoth sedentes*
super thronum excelsum, et seraphim stabant in circu-
tu ejus : sex alas uni, et sex alas alteri. Duabus velab-
bant faciem ejus, duabus autem velabant pedes ejus, et
duabus volabant. Et clamabant ad alterutrum, dicens
: Sanctus, sanctus, sanctus ; Dominus Deus sabaoth
(Isa. vi). Si Trinitas non est, quare tertio, sanctus,
dixerunt? Et si unitas non est, quare sub tria repe-
titione unum Deum ac Dominum intimarunt? Si Tri-
nitas non est, cur in Geneseos dicitur : *Dixit Deus,*
fecit Deus, et benedixit Deus (Genes. i)? Si vero unitas
non est, quare tertio dixit, Deus, et non deos plura-
liter commendavit? Et si Trinitas non est, quare in
Exodo dictum est tertio : *Domine, domine, domine,*
miserator et misericors (Exod. xxxiv)? Si unitas non
est, quare dum tertio diceret, Domine, postea miser-
rator singulariter dixit, et non miseratores, ut plures
ostenderet, intimavit? Si Trinitas non est, cur Abra-
ham ad ilicem Mambræ sedens, tribusque occurrentes,
uni domine, dixit (Genes. xviii); et non (ut viderat)
tribus salutationis obsequium reddidit? Si unitas non
est, quare cum Mos. (Exod. iii), *Deus Abraham, et*
Deus Isaac, et Deus Jacob, tertio diceret, unitatem
ostendens, *Hoc mihi nomen est*, dixit; et non, *Hæc*
sunt nostra nomina, designavit? Si Trinitas non est,
quare David tertio dixit : *Benedicat nos Deus, Deus*
noster, benedicat nos Deus (Psalm. xcvi)? Si unitas
non est, quare cum, *Deus*, tertio nominasset, *ben-*
dicat, et non, *benedicant*, adjunxit? Si Trinitas non
est, cur Isaias denuo dixit : *Domine Deus sabaoth,*

A Deus Israel, qui sedes super cherubim (Isa. xxxvii)?
Si unitas non est, quare : *qui sedes, dixit, et non qui*
sedetis, et adjunxit [Labb., abstruxit]? Si Trinitas non
est, quare in Regnorum libro dicitur, *Domine Deus*
omnipotens, Deus Israel, sermones tui fideles sunt (II
Reg. vi, III Reg. viii)? Si unitas non est, quare *tui*,
dicitur, et non, *vestri*, potius intimetur? Si Trinitas
non est, cur in psalmo lvm cantatur : *Domine Deus*
virtutum, Deus Israel, intende ad visitandas omnes
gentes? Si unitas non est, quare *intende* posuit, et
non, *intendite*, ut prædicatus est, intimavit? Si Tri-
nitas non est, quare in Apocalypsi tertio dixit : *San-*
ctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est,
et qui erat (Apoc. iv)? Si unitas non est, quare non, qui
sunt, pluraliter, sed, *qui erat*, designavit? Si Trinitas
non est, quare in Deuteronomio dictum est : *Domi-*
nus Deus tuus, Deus misericors est, et audiet vocem
tuam (Deuter. iv)? Si unitas non est, quare *audiet* po-
suit, et non *audient*, intimavit? Si Trinitas non est,
quare in Jesu Nave dicitur libro : *Dominus Deus deo-*
rum est (Josue ii; Deut. x)? Si unitas non est, quare
est, dixit, et non, sunt, more locutionis induxit? Si Tri-
nitas non est; quare Elias orando (III Reg. xviii),
Domine, domine, domine Deus Israel, ostende quia tu
es Deus meus, dixit? Si unitas non est, quare, osten-
de, et non ostendite, posuit? Si Trinitas non est,
cur Mardochæus orando (Esther. xiii), *Domine, domi-*
ne Deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt, dixit?
Si unitas non est, quare in tua posuit, et non in
vestra, signavit? Si Trinitas non est, cur etiam
Judith orando dixit : *Domine Deus omnium virtutum,*
respice in orationem meam (Judith. ix)? Si unitas
non est, quare, *respice*, posuit, et non, *respicite*,
designavit? Si Trinitas non est, quare in Jeremia
dicitur, *Dominus Deus vester Deus verax est* (Jerem.
x)? Si unitas non est, quare, *verax est*, dixit, et non,
veraces, potius intimavit? Si Trinitas non est, quare
in Apocalypsi scriptum est : *Dominus Deus et spiri-*
tus prophetarum misit angelum suum, ostendere servis
suis quæ oportet fieri cito (Apoc. 1)? Si unitas non est,
quare cum Patrem et Filium et Spiritum nominasse,
misit Dominus, dixit, et non, *miserunt*, sub prætextu
trium personarum et nominum introduxit? Si Trinitas
non est, quare in Deuteronomio dicitur : *Domini-*
us Deus vester hic est, Deus (Deut. x)? Si unitas non est,
quare, *Hic est*, dixit, et non, *hi sunt*, plurali numero
designavit? Si Trinitas non est, quare in eodem di-
citur libro : *Dominus Deus tuus, Deus magnus et po-*
tens est (Ibid.)? Si unitas non est, quare, *magnus et po-*

* Falsa et commentitia ab eodem Mercatore farrago. LABB.

tens, et non pluraliter nominatur? Si Trinitas non est, cur Tobias filium suum cum in Rages civitatem cum Raphaele angelo mitteret, benedicens eos, ita dixisse docetur: *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, ipse impleat benedictionem suam in vobis* (*Tob. vii.*)? Si unitas non est, quare, *ipse impleat*, dixit, et non ipsi impletant, intimavit? Postremo, si Trinitas non est, quare Dominus discipulos suos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti universas gentes misit baptizare (*Math. xxviii.*)? Si unitas non est, quare in nomine, dixit, et non, in nominibus, præcipiendo perdocuit? Si Trinitas non est, quare apostolus Paulus ait: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (*Rom. xi.*)? Si unitas non est, quare, *ex ipso*, posuit, et non, *ex ipsis*, astruxit? Si enim certo certius volueris unitatem Trinitatis agnoscere, a saepe dicto doctore gentium apostolo poteris universa condiscere, et sequi catholicam fidem, et Arianorum pravitatem respuere: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, inquit, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus. Ipsa est Pater, et Filius; et Spiritus sancti* (*II Cor. xiii.*). Quomodo autem in Trinitate unum sunt? quia natura atque ab invicem separari non possunt. Cæterum, frater charissime, quæ tua continebant scripta, ex subjectis sententiis maxime omnia poteris colligere^b. Necesse est, frater charissime, adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium. Et ut juxta apostolum Paulum dicamus, licet verba replicemus, quæ ipse Timotheo scribit dicens: *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum est veritatis. Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a*

^a Hactenus verba Ithacii. LABB.

^b Hincm. dial. de statu ecclesiæ citat ex Philone maximo legatorum a Judæis Caio imp. directorum. LABB.

A fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis demorum in hypocriti loquentium mendacium, et canticum habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipientem cum gratiarum actione, fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Hæc proponens fratibus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbo fidei et bonæ doctrinæ, quam essecutus es. Ineptas autem et inanæ fabulas devita, et exerce te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est. Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maximeque fidelium. Præcipe hæc et doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt (*I Tim. iii.*). Fama enim nimis affligit populus Romanus, quæ clade atque alii anxietatibus vexatus longam epistolam minime scribere valui. Tempore congruo denuoi (si necesse fuerit) mitte, et ea quæ desi deraveris, sume. Deus te incolumen custodiat, frater charissime. Amen. Data iv Nonas Aprilis, Justino [Labb., Justiniano] et Libio viris clarissimis consulibus^c.

^c Mendax consulum adnotatio. LABB.

ANNO DOMINI DLXXXIV.

LICINIANUS, CARTHAGINENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA EX CAVE.

Licinianus Carthaginis Spartariæ in Hispania episcopus, claruit anno 584. Exstant epistolaæ aliquot ha-
etenus ineditæ: nempe 1° epistola ad sanctum Grego-
rium papam; 2° ad Epiphaniūm diaconum suo et Se-
veri episcopi, ut videtur Malacitani nomine, in qua
ostenditur angelos esse totius corporis expertes;
3° ad Vincentium Ebusitanæ insulæ episcopum, contra

D quosdam qui credebat epistolas de cœlo cecidisse.
Descriptæ sunt hæc epistolaæ ex Codice ms. Toletano,
quas prelo paravit cardinalis d'Aguirre, uti in notitia
sua ipse nos docet, pag. 400. Et fidem quidem suam
hac in parte liberavit eminentissimus cardinalis,
editis his tribus epistolis Conc. Hisp. tom. II, pag.
427. Scriptis Licinianus et alia quædam; teste Ivi-